













1732.

1. Gunther, Christianus Adelphus: De fide vasallitica.
2. Heiligersaett, Johann Elias: De crimine quesi-  
peratullionis contra ministros principis.
3. Kimpelius, Christianus Gottlob: De juramento ceden-  
tis.
4. Lange, Johannes Friedrichus: De sententia defi-  
nitiva auctoritatem rei judicatae in quibusdam  
causis non impetrante.
5. Meinicke, Bertholdus Henricus: De natura  
et effecta societatis.
6. Reinkhardt, Tobias Tac.: Potissima capita insubiae  
mulierum intercessionis pro efficaci propter em  
habita.
7. Reinkhardt, Tob. Tac.: De eo, quod circa probationem  
discreti, per documenta iustum est.

8. Reinkarthus, Tobias Tac.: De comitis in criminibus  
jura et effecta
9. Reinkarthus, Tobias Tac.: De rerum uxoris  
marito traditarum favore et quibusdam cautionibus  
eorum causa attendendis
10. Reinkarthus, Tobias Tac.: De eo quod circa reum  
ex praesumptionibus convincendum et condemnandum  
justum est.
11. Reinkarthus, Tobias Tac.: De probationis civitis  
et criminosis: con. et Disconvenientia.
12. Reinkarthus, Tobias Tac.: De arbitrio patris et  
jure matris in nuptias filiarum.
- 13<sup>a. 4</sup><sub>2</sub> Reinkarthus, Tobias Tac.: De duarum vel plurimum  
jurisdictionum in una eademque causa conflictu.
- 2 5 impl. 1732 i 1748



14. Rodig, Jannil Breuerich: De jure privatorum  
circa ritus, inprimis caenas, admodum restricte
15. Schorkius, Hieron. Ferd: De reprobatione gestorum  
a pallo procuratoris
16. Schorkius, Hier. Frider: De constituto possessorio  
in legibus Romanis non fundato.
17. Stappel, Joh. Goufred: De adulterio matrimo-  
nium non dissolvente
18. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus  
l. b. s. (ad Disputationem in aeg. Christiani  
Gugli Kempelii invitat).
19. Streit, Franc. Philippus, Facult. juridicae Decanus:  
l. b. s. (ad Disputationem in aeg. Demetrii Breuerich  
Rodigi invitat).
20. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus:  
l. b. s. (ad Disput. in aeg. Franc. Friderici Langii invitat)



21. Striit, Dr. Philippus, Faull. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in aq. Dr. Gottfriedi Stoffelii invitata.)
22. Stubelmannus, Dr. Henricus: De restitutione in integrum  
liberis contra parentes denegata.
23. Tengell, Inceptor, Faull. juridicae Decanus: l. b. s.  
(ad Disputationem in aq. Johannis Frederici May  
invitata.)
24. Tengell, Inceptor, Faull. juridical ... Decanus:  
l. b. s. (ad Disputationem in aq. Caroli Christiani  
Herrii invitata.)
25. Tengell, Inceptor, Faull. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in aq. Johannis Ulrici Hegligensherti  
invitata.)
26. Tengell, Inceptor: De condemnatione in expensas litem
27. Windop, Habitu legum: De eo, quod circa principia imperii  
dispositionem testamentariam iustum est.



1737

112  
M

1732, 12

SVB PRAESIDIO

UNIVERSITATIS ERFFORDIENSIS  
RECTORIS MAGNIFICI

DN. TOBIAE IACOBI  
REINHARTI,

ICTI, SACRI PALAT. CAESAR. COMITIS, IVRID. FACVLTAT.  
ASSESSORIS, ET PROF. COD. PVBL. ORD. NEC NON  
CIVITAT. STNDICI ET CONSVLIS,

ANNVENTE INCLVTO ICTORVM  
ORDINE

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

ARBITRIO PATRIS  
ET IVRE MATRIS

IN

NVPTIAS FILIARVM,

PRO

GRADV DOCTORALI  
LEGITIME CONSEQVENDO

EXHIBEBIT

ADOLPHVS GOTTLOB O FERAL,  
*Dresdensis.*

DIE III. NOVEMBRIS M DCC XXXII.

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI.

ERFORDIAE,

LITERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.









## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                              |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                              |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>§. I. <i>Fundamentum Patriae Potestatis naturalis in educationis officio, parentibus iniuncto, quaerendum.</i></p> <p>§. II. <i>Patria Pot. naturalis utrique parenti, patri &amp; matri, aequaliter competit.</i></p> <p>§. III. <i>Nec tamen ulterius extendi potest, quam necessitas educationis requirit.</i></p> <p>§. IV. <i>Perfecta igitur educatione, eadem cessat.</i></p> <p>§. V. <i>An &amp; quousque parentum consensus in nuptiis liberorum naturaliter requiratur, expenditur.</i></p> <p>§. VI. <i>Aliter se habere, latiusque patere P. P. Romanorum civilem, docetur.</i></p> <p>§. VII. <i>Vigore huius potestatis consensus parentis in nuptiis liberorum, P. P. subiectorum, necessario intervenire debet.</i></p> <p>§. VIII. <i>Quod ut clarius demonstraretur, agitur I. de iure patris circa liberorum,</i></p> | <p><i>&amp; filiarum cumprimis, nuptias.</i></p> <p>§. IX. <i>Quae, si inscio patre contractae fuerint, nullae sunt.</i></p> <p>§. X. <i>Licet corporum coniunctio accesserit: Nec obst. l. 1. §. f. π. de liber. Exhib.</i></p> <p>§. XI. <i>Ad quam respondetur.</i></p> <p>§. XII. <i>Nec non ad rationes dissentientis THOMASII.</i></p> <p>§. XIII. <i>Et inprimis ad locum, ex PAULI sentent. L. II. Tit. 19. §. 1. excitatum.</i></p> <p>§. XIV. <i>Nuptias tamen, accedente patris ratificatione, retro convalidari euincitur.</i></p> <p>§. XV. <i>Patri fas non esse, dissensu suo irrationabili filiarum nuptias impedire, demonstratur.</i></p> <p>§. XVI. <i>An &amp; quousque eadem filias, ad nuptias cogere liceat, inquiritur.</i></p> <p>§. XVII. <i>Quaenam iura patri circa nuptias filiarum, in</i></p> |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|



- potestate non existentium, competant, docetur.
- §. XVIII. Contentionia Iuris Romani cum Iure Diuino exponitur.
- §. XIX. Nec non cum doctrina Patrum & Iure Canonico Veteri.
- §. XX, XXI. Itemque cum Legibus Veterum Germanorum.
- §. XXII. Quod hodie iure Protestantium ecclesiastico circa sponsalia liberorum, & filiarum cum primis, obtineat, ostenditur.
- §. XXIII. An matrimonia, inuito patre contracta, & per benedictionem sacerdotalem consummata, hodie consistant, expenditur.
- §. XXIV. Quae ad abusus P. P. cobibendos Iure Romano statuta sunt, hodiernum usum habent.
- §. XXV. An & quousque hodie paternus consensus in nuptiis filiarum, sui iuris factarum, requiratur, inquiritur.
- §. XXVI. Quod vero II. Matrem attinet, eius consensus iure Romano regulariter necessarius haud est.
- §. XXVII. Nisi pater mortuus, filia vero minorennis sit, quo casu non matris solum, sed & tutorum ac propinquorum consensus intercedere debet.
- §. XXVIII. Matre a tutoribus & propinquis dissentiente, res ad Magistratum deferitur.
- §. XXIX. Vel etiam forte interueniente controuersia sopitur.
- §. XXX. Iure diuino Matrī amplior potestas circa liberorum nuptias tribuitur, ita tamen, ut patris, à matre forte dissidentis, potior ratio habeatur.
- §. XXXI. Quod & iuri antiquo Germanico, &
- §. XXXII. Protestantium Ecclesiastico hodierno, ac Praxi apprimè conuenire statuitur, & concluditur.

DIS-





DISSERTATIO INAUGURALIS  
IVRIDICA,  
DE  
ARBITRIO PATRIS  
ET IVRE MATRIS IN  
NUPTIAS FILIARVM.

§. I.

**P**arentibus aliquam in liberos potestatem naturaliter quoque competere, in confesso est. Sed vnde origo eius ac fundamentum repeti debeat, inter eruditos non conuenit. Plerique sententiae GROTII (1) subscribentes, generatione censent parentibus ius in liberos acquiri. In alia omnia iuit HOBBSIUS (2), a iure victoriae illud deriuans, confutatus passim ab alijs, PVFENDORFIO (3) cumprimis & HERTIO (4). Neque tamen minoribus dubijs inuoluta est ipsius PVFENDORFII (5) hypothesi, legem naturalem & praesumptum liberorum con-

Λ

sen-



fenſum vrgentis, prout pridem demonſtraverunt HER-  
TIVS (6), THOMASIVS (7), GVNDLINGIVS (8), alii.  
Quas vias caeteri Juris Naturalis Doctores heic ingreſſi  
ſunt, ſuccincte EVER. OTTO (9) Vir Cl. expoſuit. No-  
bis omnium rectiſſime ſentire videntur, qui funda-  
mentum poteſtatis parentum in liberos in officio edu-  
cationis, parentibus iniuncto, quaerunt, cum EVER.  
OTTO (10), GRIBNERO (11), GVNDLINGIO (12), re-  
liquis. Ad educationem quippe imperio opus eſt, vt  
morum impedimenta in effrenis liberis reſecentur.

(1) de Jur. Bell. & Pac. L. II. c. 5. §. 1.

(2) de Civ. C. IX. §. 3. & Leviath. c. XX.

(3) de Jur. N. & Gent. L. VI. c. 2. §. 2. & 3.

(4) Ad Puſend. c. 1.

(5) de Jure N. & G. L. VI. c. 2. §. 4.

(6) ad Puſend. c. 1. §. 4. & 11.

(7) Inſt. Jur. Div. L. III. c. 4. §. 5. ſqq.

(8) Jur. Nat. & Gent. c. XXIX. §. 3.

(9) ad Puſend. de Off. Hom. & Civ. L. II. c. 3. §. 2. p. 316.

(10) c. 1. p. 317.

(11) Princip. Jur. Nat. L. I. c. 9. §. 3.

(12) Jur. N. & Gent. c. C. XXIX. §. 1. ſqq.

§. II.

Cum vero utrique parenti officium educatio-  
nis incumbat: inde poteſtatem in liberos neutri-  
quam eſſe patri propriam, ſed matri etiam commu-  
nem, ultro confequitur. Plane quae HOBBSIVS (1)  
pro potiori matris jure in medium protulit, dudum  
exploſa ſunt. Nec dubio carent, quae ex diverſo pro  
patris imperio praevalente a GROTIIO (2), ſexus prae-  
ſtantiam allegante, & THOMASIO (3), decori regu-  
las



as obtendente, differuntur, prout affabre ostendit GRIBNERVS (4). Aequalitatem tamen, quam regulariter obtinere asserimus, per pactum tolli, & alterutri parenti potentius jus in prolem tribui posse, non diffitemur, quod & PVFENDORFIVS (5) recte hactenus aduertit.

(1) de Civ. civ. C. IX.

(2) de J. B. & P. L. II. c. 5. s. 1.

(3) Fundam. Jur. N. & G. L. III. c. 4. n. 8. p. 271, junct. L. III. c. 2. n. 16. p. 252.

(4) Princ. Jurispr. Nat. L. I. c. 9. s. 2.

(5) de J. N. & G. L. VI. c. 2. s. 5.

§. III.

Quemadmodum porro ob educationem liberorum a parentibus suscipiendam, his potestas in illos competit: ita facile est ad intelligendum, non maiorem vel ampliorem iis potestatem adscribi posse, quam quidem finis educationis requirit. Vnde confit, naturam parentibus ius vitae & necis, aut ius vendendi oppignorandique liberos, haudquaquam concedere, recte monente GRIBNERO (1), ac proin potestatem illam non posse maiestatem appellari, aut regiae affimulari, aut cum heri auctoritate in pari collocari, iudice GUNDLINGIO (2), vel etiam ad bona & res liberorum extendi, obseruante THOMASIO (3).

(1) Jurispr. Natur. L. I. c. 9. s. 4.

(2) Jur. Nat. & Gent. c. XXIX. s. 10.

(3) Inst. Jurispr. Div. L. III. c. 4. s. 69. 70. 71.



§. IV.

Sed & ex dictis patet, perfecta educatione, parentum in liberos potestatem naturaliter dissolui. Ob-  
tento quippe sine, mediis eo pertinentibus non am-  
plius opus. Liberi tamen, finita licet potestate, ad  
reuerentiam, pietatem & obseruantiam parentibus  
exhibendam, perpetuo obstricti sunt. Cuius reue-  
rentiae causas nonnulli in generationis aequae ac edu-  
cationis beneficio collocant, cum GRIENERO (1) exi-  
stimantes, per generationem non exiguum quoque  
beneficium in liberos conferri. Cum vero alii cum  
IUVENALI (2), rem nullam minoris constare patri,  
quam filium, putent, illumque, referente EVER. OTTONE  
(3), proprios magis explere stimulos, quam generare  
voluisse censeant, ac praeterea vitam multorum malo-  
rum iuxta, ac bonorum occasionem esse existiment:  
hinc potiore eius causam ab educatione, eique, iu-  
dice THOMASIO (4), innexa alimentatione, repetere  
malumus, utpote cui nunquam digna satis gratia re-  
ferri potest, prout optime laudatus OTTO (5), post PV-  
FENDORFIVM (6) & THOMASIVM (7), rationes  
subduxit.

(1) *Jurispr. Nat. L. I. c. 9. §. 6. n. 1.*

(2) *Satyr. VII. Vers. 187. 188.*

(3) *ad Pufend. de Off. H. & Civ. L. II. c. 3. §. 9. p. 324.*

(4) *Instit. Jurispr. Div. L. III. c. 4. §. 32. 33.*

(5) *c. 4. p. 324.*

(6) *de J. N. & Gent. L. VI. c. 2. §. 10.*

(7) *Instit. Jurispr. Div. c. 4. §. 60. & 75.*

§. V.



## §. V.

Num vero pietatis atque reuerentiae illius ratio exigat, vt filiae nubentes, filiique ducentes parentum praecise consensum adhibere teneantur, eoque non expedito, matrimonium contractum nullum sit? deinceps inquirendum venit. Vbi nobis oppido persuasum est, officio liberorum, pietatique parentibus debita admodum conueniens esse, vt parentum consensum impetrent, praesertim cum hoc negotium arduum plane sit, atque ad totam gentem pertineat; quod si tamen insciis aut inuitis parentibus coniugium ininitum sit, illud ideo non protinus pro nullo aut irrito naturaliter haberi posse, siquidem solum reuerentiae officium non efficit, vt nullus sit actus, qui ei repugnat. Accedit, quod nuspian libertas tam necessaria videatur, quam in matrimonio. Hinc CASSIODORVS (1) *durum*, pronunciat, *libertatem liberam non habere in matrimonio, unde liberi procreantur*; quod eleganter interpretatus Iuuenis apud QVINCTILIANVM (2) his verbis: *Sed quid obicias? Vxorem, inquit, non ducis quam volo: Quid tum? nescis nostri arbitrii esse matrimonia? adfectus nostri vobis non seruiunt: non potes efficere imperio, vt vel amem quem velis, vel oderim. Matrimonium vero tum perpetuum est, si mutua voluntate iungitur. Cum ergo quaeratur mihi uxor, socia tui, vitae consors, in omne seculum mihi eligenda est: alioquin quid proficis inuitum cogendo? repudiabo. Pro ea igitur libertate eoque merito praesumi debet, donec aliqua probetur restrictio. Atque eam sententiam latius tuentur* GRO-



TIVS (3), PVFENDORFIVS (4), GRIBNERVS (5),  
GVNDLINGIVS (6), VITRIARIIVS (7) & THOMA-  
SIVS (8), à quibus nec dissentit EVER. OTTO (9), pa-  
rentum consensum non quidem ex regulis iusti, be-  
ne tamen honesti & decori adhibendum esse prae-  
cipiens.

(1) L. VII. Variar. ep. 40.

(2) Declamat. 376.

(3) de Jure B. & P. L. II. c. 5. §. 10.

(4) de Jure N. & Gent. L. VI. c. 2. §. 145.

(5) Jurispr. Natur. L. I. c. 8. §. 2.

(6) Jur. N. & Gent. c. XXIX. §. 24.

(7) Instit. Jur. Nat. L. II. c. 5. qu. 18.

(8) Instit. Jur. Div. L. III. c. 4. §. 77. 78.

(9) ad Pasend. de O. H. & C. I. II. c. 3. §. II. p. 326.

§. VI.

Longe aliter se habet parentum in liberos pote-  
stas, si secundum leges & instituta Romanorum expen-  
datur. Sicuti enim Ius Civile in genere, tradente VL-  
PIANO (1), Iuri Naturali nunc aliquid addit, nunc de-  
trahit: ita idem intuitu patriae potestatis quoque con-  
tingit, utpote quam Ius Romanum per pluribus, iis-  
que insignibus effectibus auxit. Certe cum ROMY-  
LVS ob educationem liberorum, cuius cura parenti-  
bus incumbit, his omnino potestatem in illos per-  
mittendam esse perspiceret, simul tamen animaduer-  
teret, domesticam disciplinam, quae caeteroquin statui  
cujuslibet Reipubl. ex regulis prudentiae Civilis re-  
spondere debet, ita ordinandam esse, ut statui Regio  
ac Monarchico conveniret, liberique absoluto im-  
perio adsueta, boni deinceps civis & Regibus ob-  
tem=



temperantes euaderent: hinc, memorante DIONYSIO HALICARNASSEO (2), parentibus tantam in liberos potestatem dedit, ut horum conditio non multo tolerabilior, quam seruorum, quid? quod in quibusdam adhuc durior esset. Concessit enim illis ius liberos coërcendi, verberandi, rufficis in operibus habendi, venundandi, imò & occidendi: quorum contemplatione ius parentum in liberos *Patria Majestas* apud VALERIVM MAX. (3) appellatur, pater vero *Princeps* familiae à CAIO (4) dicitur. Cumque ex eiusdem ROMVLI instituto nuptiae per confarreationem contraherentur, & vxores in manum maritorum solenniter conuenirent, quo de copiose edisserit GRYPENIVS (5), inde absouum videbatur, matribus, utpote quae ipsaemet maritorum suorum potestati, atque, ut LIVIVS (6) loquitur, majestati subiectae erant, aliquam in liberos potestatem tribui. Quare illa patri soli transcripta est, & quidem ita, ut eidem perpetuo, quoad in viuis esset, competeret, nec liberos quicumquam, nisi voluntas patris, potestatis huius nexibus liberaret.

(1) in l. 6. n. de J. & J.

(2) L. II. c. 27. § 28.

(3) Lib. VIII. c. 7.

(4) in l. 196. n. de V. S.

(5) in *Trakt. de Vxore Roman.* c. IV.

(6) *Hist.* L. XXXIV. c. 2.

§. VII.

Extra oleas, quod aiunt, vagarer, si in explicandis singulis patriae potestatis Romanae iuribus multus essem.

Hoc



Hoc solum in praesentia commemorandum, quod patri vi dictae potestatis quoque competat ius in nuptiis liberorum consentiendi, adeo, vt, praecipiente PAVLO (1), *nuptiae consistere non possint, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, QVORVMQVE IN POTESTATE sunt.* Id quod luculenter confirmat ipse Imper. IUSTINIANVS (2) addens, hoc & *ciuilem & naturalem rationem suadere*: vbi quidem per naturalem rationem pietatem & obseruantiam, gratumque animum parentibus à liberis debitum, v. sup. §. IV. V. per ciuilem vero ipsam illam rigidam potestatem Romanam, propter quam liberi seruis pene equiparabantur, intelligit, interprete EVER. OTTONE (3). Quemadmodum autem hicce patriae potestatis effectus in nuptiis filiorum aequè ac filiarum se exerit: ita cum primis, quid iuris Patri ratione nuptiarum à *filiabus* contrahendarum asseri debeat, & quid earum intuitu *matri*, patriae potestatis Romanae alias incapaci, relictum sit, paucis expendisse iuuat.

(1) in l. 2. c. de Rit. Nupt.

(2) in pr. §. de Nupt.

(3) in Comment. ad d. pr. §. de Nupt.

§. VIII.

Quod igitur *Patrem*, eiusque ius circa nuptias *filiarumfamilias*, attinet, ambigendum non est, quin iure Romano consensus illius in harum nuptiis necessario interuenire debeat. Illud enim & dicta §. praeced. euincunt, & praeterea IULIANVS (1) aequè ac Imper. GOR-

DIANVS



DIANVS (2) non obscure comprobant. In eo tamen  
 notabile discrimen inter filiosfamilias & filias. iure  
 veteri intercedebat, quod in illorum nuptiis consen-  
 sus patris *expressus* requireretur, in harum vero *tacitus*  
 sufficeret. *Intelligi quippe semper, FILIAE patrem consen-*  
*tire, nisi euidenter dissentiat, Julianus scribit, referente*  
 PAVLO (3). Cuius discriminis ratio sine dubio in eo  
 cubat, quod maius patri ex nuptiis filii, quam filiae  
 praeiudicium immineret. Enimvero filiofamilias, du-  
 centes vxores, in domo patris, & ex eius re vivebant,  
 ac proin à patre, cum vxoribus & liberis, pro cuius-  
 graue admodum videbatur, patri suum adnasci here-  
 dem ex foemina, sine eius consilio voluntateque ex-  
 pressa in familiam allecta. Quae omnia secus se habe-  
 bant in filiabus, vtpote quae à maritis suis, aut eorum  
 patribus erant sustentandae, in quorum illae familiam  
 nubendo transibant. Vnde etiam, obseruante THO-  
 MASIO (4), cognosci potest, quare Juri filiae patris  
 furiosi permiserint quidem certa ratione nuptias  
 contrahere, filio autem non aequè; quoniam scilicet  
 pater furiosus euidenter dissentire non poterat, quod  
 in nuptiis filiae sufficiebat: at expresse consentire ne-  
 quibat, quod ad legitimum filiofam. matrimonium de-  
 siderabatur. Tandem tamen ab Imperatore ALE-  
 XANDRO (5) cautum est, in nuptiis filii quoque ta-  
 citum patris consensum interuenire posse, quemad-  
 modum etiam id, quod de filiabus patris furiosi

B

Vete-



Veteribus placuit, ad filios pariter ab Imperatoribus  
MARCO (6) & IVSTINIANO (7) extensum fuit.

(1) in l. 18. π. de R. Nupt.

(2) in l. 7. C. de Nupt.

(3) in l. 7. §. 1. π. de sponsal.

(4) in Diss. de Vsu Pr. Tituli I. de Nupt. §. XIV. p. 50. 51.

(5) in l. 5. C. de Nupt.

(6) iuxta l. 25. C. eod.

(7) in cit. l. 25. C. de Nupt. & l. 28. C. de Episc. Aud. j. pr. I. de Nupti

§. IX.

Quodsi autem filiafamilias, in scio plane vel inuito  
patre, matrimonium contrahere ausa erat: illud nullom  
prorsus atque inualidum habebatur, & nec vir, nec uxor,  
nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligebatur, prout  
exerte disponit Imp. IVSTINIANVS (1). Vnde con-  
sequebatur, quod, respondente PAVLO (2), *is, qui vi-  
uente patre & ignorante de coniunctione FILIAE conceptus est,  
licet post mortem aui natus sit, iustus filius ei, ex quo conce-  
ptus est, non videatur.* Et hinc recte apud APVLEIVM  
(3) asseritur, quod *impares nuptiae, & praeterea in villa sine  
testibus, & PATRE NON CONSENTIENTE factae, legitimae  
non possunt videri; ac per hoc spurius iste nascatur.* Quid?  
quod patri eo in casu ius erat, filiam ab eo, quem ci-  
tra suum consensum maritum eligere sustinuerat, ite-  
rum segregandi, domumque abducendi, non alia sane  
ex ratione, quam quod Leges non matrimonium illud,  
sed quasi illicitum contubernium haberent, commo-  
de monente HVBERO (4).

(1) in §. 12. I. de Nupt.

(2) in l. 11. π. de Stat. Hom.

(3) M<sup>o</sup>



(1) *Metamorph. L. VI. p. 177. edit. Francof. 1651.*  
 (2) *in Digress. P. II. L. I. c. 15. n. 1. p. 518.*

§. X.

Ex dictis itaque patescit illico, grauiter errare eos, qui nuptias filiarum, sine patris consensu iniras, accedente corporum coniunctione, ita confirmatas fuisse contendunt, vt eas deinceps diuellere patri haudquam licuerit. Non ignoro equidem, pro stabilienda hacce sententia communiter allegari *VLPIANVM*, qui ab ea, quam nos modo adstruximus, hypothese plane alienus fuisse videtur. Ita enim ille (1): *Si quis filiam suam, quae mihi nupta sit, velit abducere, vel exhiberi sibi consideret: an aduersus interdictum exceptio danda sit, SI FORTE PATER CONCORDANS MATRIMONIUM, FORTE ET LIBERIS SVBNIXVM, VELIT DISSOLVERE? Et certo iure vtimur, NE BENE CONCORDANTIA MATRIMONIA IVRE PATRIAE POTESTATIS TVRBENTVR: quod tamen sic erit adhibendum, vt patri persuadeatur, ne acerbe patriam potestatem exerceat. Verum enim vero non agitur hic de matrimonio sine patris consensu inito, quippe quod est nullum, omnibusque legitimi matrimonii effectibus plane destituitur, imo nec matrimonium esse intelligitur, iuxta *Sphum praeced.* sed de matrimonio vero & rite contracto, quod ne iure patriae potestatis turbetur, aequitati & iuri recens constituto conuenire censetur.*

(1) *in l. 1. §. f. π. de Liber. exhib.*



6. XI.

Vt autem, quod modo dictum est, maiori uce collustretur, sciendum est, patri quondam permiffum fuisse, nuptias, se licet consentiente initas, à filiabus tamen citra conventionem in manum mariti contractas, iure patriae potestatis distrahere, quamuis matrimonium eiusmodi *concordans, forte et liberis subnixum* fuerit, adeoque nulla iusta causa dissolutionis à patre allegari potuerit. Sicut enim liberi, in sacris paternis constituti, in *mancipio* esse dicebantur, teste VLPIANO (1) & PAVLO (2), ac propterea inter res *mancipi*, obseruante CORNELIO VAN BYNKERSHOEK (3), referebantur: ita ambigendum non est, quin illi, & praesertim filiae, à patre, matrimonio haudquaquam impediante, *ex lege Quiritum* vindicari potuerint, docente VLPIANO (4). Quo etiam pertinet, quod apud eundem VLPIANVM (5) focer nurui repudium misisse dicitur, invito licet filio, utpote qui cum vxore sua concordare perhibetur. Sed cum nimius iste patriae potestatis rigor multas saepe liberorum, & cum primis filiarum, querelas excitaret; ita enim apud PLAVTVM (6) filiae ANTIPHONEM patrem, qui eas à maritis suis domum abducere volebat, alloquantur:

*Aur olim nisi tibi placebant, non datas oportuit,*

*Aur nunc non aequum est abduci, pater illisce absentibus.*

& notum est illud AFRANII apud NONIVM (7) in-  
quientis:

*O indignum facinus, adolescentis optimas*

*Bene conuenientes, concordas cum viris*

*Repente viduas faciet spurcitia patris.*

Ae



ac in Ennianis denique verbis, (8) Merope, filia Cypseli, Arcadiae regis, ita conqueritur :

*Injuria abs te afficior indignâ, pater;*

*Nam si improbum esse Cresphontem existimaueras,*

*Cur me huic locabas nuptiis? sin est probus*

*Cur talem invitam cogis linquere?*

Inde successu temporis ille paululum immutatus est, intercedente primum D. PII constitutione, ad quam PAVLVS (9) prouocat, quam mox alia D. MARCI, tradentibus Imp. DIOCLETIANO & MAXIMIANO (10), nec non SEVERI Imp., memorante VLPIANO (11), secuta est, donec tandem modo laudati Imp. DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS (12) denuo atque iterato praeciperent, *dissentientis patris, qui initio consensit matrimonio, eum marito concordante uxore filia familias, ratam non haberi voluntatem, nisi magna & iusta causa interueniente hoc pater fecerit.* Et ad hoc patriae potestatis temperamentum procul dubio in c. l. i. §. f. respexit VLPIANVS, dum ait: *Et certo iure vitimur, id est, aduersus iuris stricti regulas inualuit, ne bene concordantia matrimonia iure patriae potestatis turbentur: quamuis simul declaret, non quidem directo veteris iuris mutationem illico factam esse, sed ita solum, ut patri persuadeatur, ne acerbe patriam potestatem exerceat.* Recepto autem semel iure hocce aequiori, id deinde longius perrectum est, adeo, ut iuxta HERMOGENIANVM (13) ipse maritus etiam de uxore exhibenda ac ducenda huius patrem conuenire posset. Atque eo modo VLPIANVM post alios quoque GER. NOODTIVS (14) intelligit.



- (1) In *Fragm. Tit. X. rubr. qui in potestate mancipioe sunt*, apud SCHVE-  
TING, p. 591.
- (2) *Sentent. L. IV. tit. 8. n. 7.* apud SCHVLTING, p. 409.
- (3) *de Jure occidendi, vend. & exponendi liberos. c. 1.*
- (4) in l. 1. §. 2. π. *de Rei Vind.*
- (5) in l. 32. §. 19. π. *de Donat. int. Vir. & Vxor.*
- (6) in *Suicho. Añ. I. sc. II. §. 73.*
- (7) *Nonius Marc. sub Voc. spurcum*, inter DIONYS. GOTHOFR. *Añtor*,  
*ling. lat. pag. 706.*
- (8) §. *Eiusd. fragm. p. 258. ex recens. FR. HESSELII. Amstel. 1707. 4.*
- (9) *Sentent. L. V. tit. 6. §. 15.* apud SCHVLTING, p. 463.
- (10) in l. 5. C. *de Repud.*
- (11) in c. l. 32. §. 19. π. *de Donat. int. V. & V.*
- (12) in *alleg. l. 5. C. de Repud.*
- (13) in l. 2. π. *de Liber. exhib.*
- (14) *de Vusufruct. L. I. c. 8. in f.*

§. XII.

Possimus ulteriori eorum, quae hucusque edis-  
seruimus, confirmatione superfedere, nisi dubia quae-  
dam contra illam, quam in explicando textu VEPIANI  
fundamenti loco substrauimus, hypothesin mouisset  
THOMASIVS (1), ratus, non potuisse patrem, postea-  
quam semel in nuptias consensisset, obtentu patriae  
potestatis, filiam inuitam inuito marito adimere: Id e-  
nim ex pluribus Romanorum legibus & institutis li-  
quido patere putat, contra quas leges testimonia PLAV-  
TII aliorumque Poëtarum neutiquam produci posse  
contendit, eo quod illorum sit fingere, ac praeterea  
PLAVTVS non tam de Romanis, quam Graecis VXO-  
ribus loquatur. At enim vero leges, ad quas iste pro-  
uocat



nocat, vel ad sequiora tempora, quibus patriae potestatis duritiem mitigatam esse vltro fassum sumus, pertinent, vel à praesente materia penitus alienae sunt, quod in primis quoad legem NUMAE de non vendendis liberis, qui patre probante uxores duxerant, ex parte ostendit HUBERVS (2). Porro facile concedimus, Poetarum quidem fingere esse: ast quis inde vellet colligere, rerum argumenta, quae nobis lepida narratione admixtisue fabulis traduntur, ut falsam penitus reiicienda esse? Nonne optimo modo hominum mores, viuendique ratio in theatris exponuntur, & veritas per incunde saepius sub ludicra arte latet? Nec negamus, Plautum adducto loco graecam uxorem in scenam producere: sed quis nescit, Athenis praesertim, quicquid fuit doctrinae, legum, morum, elegantiarum ac voluptatum, magna ex parte Romam fuisse profectum. Neque vero nos solius PLAVTI, sed & aliorum Scriptorum testimoniis fide dignissimis, imo ipsius Iuris Romani auctoritate & rationibus nitimur, ac proin operae pretium vix fore opinamur, si in refellendis omnibus ac singulis, quae à THOMASIO contra eam, quam modo adstruximus, sententiam adferuntur, multum laboris vellemus consumere.

(1) in *Diss. de Vsu Praet. Tit. 7. de Nuptiis c. 4 §. 13. p. 48. §. 49.*

(2) in *Digress. P. II. L. I. C. 15.*

§. XIII.

Vnicum tamen, quod vehementissime ob stare videtur, dubium paucis adhuc tetigisse & simul remouisse



uisse iuvat. Allegat scilicet laudatus THOMASIVS inter alia locum PAVLI (1), difficilem admodum & impeditum, dignumquè ideo, qui aliquanto curatius expendatur. Ait vero ille: *Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur: sed contracta non solvuntur: contemplatio enim publicae utilitatis privatorum commodis praefertur.* Vbi quidem nimis perfunctorie rem agere videtur SANDIVS (2), librum sententiarum PAVLI legis auctoritatem non habere, nec ad decisionem causarum facere, abscisse existimans. Quamvis enim non diffiteamur, sententias istas, si contra indobitatas Iuris Iustiniani dispositiones proferrantur, iure meritoque sperni posse ac debere: negari tamen nequit, obscuras & ambiguas leges, in quarum numero *d. l. i. §. f. π. de Liber. exhib.* diversimode à Dd. intellecta non absone habetur, optime ex iis posse explicari, prout apposite monuit HVBERVS. (3) Alia igitur via in declarando dicto textu Paulino incedit GROTIIVS (4), verba illa: *sed contracta non solvuntur*, ab ANIANO, Gothorum Regis ALARICI Referendario, addita esse suspicans. Id quod tamen aliis iterum displicet, putantibus, neutiquam heic opus esse, vt interpolatio statuatur, cum verba PAVLI sensum satis commodum admittant. At qui ita arbitrantur, in diversas rursus sententias abeunt, relatas potissimum à SCHVLTINGIO, (5) quem quidem excubere nunc non attinet. Addimus tamen iis novam, eamque non insubidam coniecturam EVER. OTTONIS, (6) cui verosimile admodum videtur, PAVLVM de



de eo, quod Romae communiter prudentes patres facere soliti sunt, quodque in mores quasi abiit, loqui, vt ingratis liberis veniam dare, & maioris mali vitandi causa, contracta matrimonia sustinere licuerit, siue rati habendo, vt liberi nascerentur legitimi, siue non petendo, vt Praetor hoc iniusti coniugii genus separaret. In tanta opinionum varietate nobis aridet sententia eorum, qui supra citatum locum PAULI de matrimonio, ab initio rite & ex parentum voluntate contracto, accipiunt, & eodem pene modo, prout supra textum VLPiani exposuimus, explicant. Loquitur enim PAULVS de matrimoniis contractis, eaque solui posse negat. At quomodo contracta dici possunt, quibus Pater non consentit? Atque ita post DVARENVM (7), VINNIUM, (8) HVBERVVM (9), alios, rationes quoque subduxit SCHVLTINGIVS. (10)

(1) Sentent. L. II. Tit. 19. §. 2. apud SCHVLTING. p. 300.

(2) L. II. decis. Tit. I. def. 4.

(3) Digress. P. II. L. I. c. 16. §. 2. p. 521. & 522.

(4) in not. ad L. II. de I. B. & P. c. 7. §. 14. n. 4.

(5) in not. ad Pauli Sent. c. l. p. 300. n. 6.

(6) in Comment. ad §. 12. I. de Nupt. p. 84.

(7) ad π. Tit. solut. matrim. dos quemadm. de nupt. c. 2.

(8) in Comment. ad §. 12. I. de Nupt.

(9) in Digress. c. l.

(10) c. l. p. 300. n. 6.

§. XIV.

Euicimus hactenus, nuptias à liberis, & in specie filiabusfam. citra patris consensum initas, iure Romano nullas fuisse, patrique vigore patriae potestatis eo casu ius competiisse, filiasf. à maritis segregandi & do-

C

mum



num abducendi. Proximum est, ut dispiciamus, an & quatenus eiusmodi coniunctiones per patris rati-  
 habitationem validae reddi poterint? Licet enim in  
 aprico sit, ratihabitationem nuptias iustas efficere intui-  
 tu *temporis futuri*, ita, ut, eâ secutâ, omnes inde legiti-  
 mi matrimonii effectus se exerant: in eo tamen non  
 conveniunt Interpp., num connubium, posteaquam  
 ratihabitió patris accessit, adeo *retro* conualescat, ut  
*ab initio* legitime contractum censeatur, liberique iam  
 nati ex iusto matrimonio progeniti habeantur? Ne-  
 gatiuam cum plerisque aliis Dd. fouet THOMASIVS (1),  
 motus potissimum hisce rationibus, quod Imp. JVS-  
 TINIANVS (2) expressis verbis disponat, *iustum paren-  
 tis praecedere debere*: deinde II. quod, cum nati ex nu-  
 ptiis, quibus non consensus pater, spurii sint, ab arbi-  
 trio priuatorum haudquaquam dependeat, ex illegi-  
 timis liberis legitimos efficere: praesertim quia III. le-  
 gitimationem per subsequens matrimonium seculo  
 IV. demum inualuisse, & non nisi ad naturales liberos  
 pertinuisse constet. Ex diuerso adfirmatiuae subscri-  
 bit HVBERVVS, (3) & statum liberorum fauorabilem,  
 & quod maximum est, vim retrogradam ratihabitió-  
 nis, actui inde ab initio qualitatem suam imprimen-  
 tis, vrgens, quae rationes eum, iudice BERGERO, (4)  
 tam validae sint, ut facile animum in eandem senten-  
 tiam flectere possint, & à nobis assensum extorserunt;  
 praesertim, quoniam ea, quae in contrarium à THO-  
 MASIO profertur, non adeo difficulter dilui possunt.  
 Ut enim, quod ad primum attinet, iustus, docente



VLPIANO, (5) consensum praecedentem plerumque innuat: attamen & ratihabitionem saepe pro iussu valere, ubi hic requiritur, ipse VLPIANVS (6) admittit, cumque, ratihabitione interueniente, consensus patris retro recurrat ad initium coniugii, ille hoc tum non inepte praecessisse dici potest. Neque plus ponderis habet, quod secundo loco adlatum est, siquidem nuptiae, neglecto patris consensu contractae, huius tantummodo contemplatione, & in eius gratiam, nullae sunt: hinc si is consensu suo subsecuro, qui iuxta dicta ad initium connubii retrahitur, matrimonium legitimum reddat, quod facere utique ei licet, non potest non exinde etiam hic iusti ac veri matrimonii effectus sequi, ut liberi ex illo nati iuxta legum dispositionem legitimi censeantur. Vnde tandem & tertia ratio concidit. Legitimitas quippe intuitu liberorum, extra matrimonium in concubinato susceptorum, introducta est. Sed liberi, de quibus haec sermo est, ex coniugio, quamuis ob defectum consensus paterni illegitimo, nati sunt; hinc si defectus iste suppleatur, & matrimonium consensu patris superueniente corroboretur, & mox ab initio rite, ac secundum praecepta Legum initum esse reputetur: effectus à iusto matrimonio, etiam ratione legitimitatis liberorum, pendentes tunc sequi debere pro explorato habemus. Textus autem, quos pro se adducit THOMASIVS plenissime excusit HYBERVS. (7)

(1) in Diss. de Usu Pract. Tit. I. de Nupt. c. 1. §. 15. p. 53. & 54.

(2) in pr. l. de Nupt.



- (3) in Praelect. secundum Inst. Tit. de Nupt. s. 10. & secundum π. Tit. de R. N. s. 5.  
 (4) in Ref. Laut. ad Lib. XXIII. T. 2. qu. 2. p. 471.  
 (5) in l. 25. s. 4. π. de A. vel O. H.  
 (6) in l. 1. s. 6. π. quod inssu.  
 (7) in Prael. ad π. c. l.

§. XV.

Quemadmodum vero alias non insolens est, ut homines concessa sibi potestate heic & nunc abutantur: ita idem intuitu iuris, quod parentibus circa nuptias liberorum indultum esse diximus, contigit, dum illi hos aut à nuptiis arcerent, aut etiam ad matrimonium, à quo abhorrebant, cogerent. De utroque patriae potestatis abusu paucis agendum nobis videtur. Priorem igitur quod attinet, patres non raro filiarum cumprimis matrimoniis intercedebant, easque ideo nubere prohibebant, quod dos, sine qua maritos haud facile inueniebant, illis constituenda esset; plerumque autem, verbis utor Cl. HEINECCII, (1) *Euclionibus graue erat, dote data sibi mercari generos, & ex ea quoque causa saepe impediabant, quo minus liberi legi Papiae satisfacerent, legitimaque prole rempubl. locupletarent.* Ut igitur patres, ad suam utilitatem omnia referentes, & tam male liberis, ac praesertim filiabus, consulentes coërcerentur, atque in ordinem redigerentur, Lege Julia & Papia iam tum, referente MARCIANO (2), ita cautum est: *Qui liberis, quos habent in potestate, iniuria prohibebunt ducere uxores, vel nubere, in matrimonium eos collocare per Praetorem Urbanum coguntur.* Quae dispositio dein constitutione SEVERI & ANTONINI Impp. illustrata, & non solum ad provin-



nincias porrecta, sed & eo extensa est, ut parentes liberos, in potestate sua constitutos, dotare etiam cogentur, prout affabre & copiose demonstravit modo laudatus HEINECCIUS; (3) unde simul responderi optime potest ad dubia, quae circa citatam legem, ex MARCIANO descriptam, movit humanissimus ICTVS BELGA, CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK. (4)

(1) in Comment. ad L. Iuliam & Papiam Poppaeam L. II. c. 20. p. 335.

(2) in l. 19. π. de Rit. Nupt.

(3) cit. c. 20. per tot.

(4) in Obseru. Iur. Rom. L. IV. s. 13.

§. XVI.

Neque porro alter potestatis patriae abusus, quo de suo praecedente mentionem iniicimus, sine emendatione prorsus relictus est; quamuis negare nequeamus, meliore loco filiosf. quam filias fuisse. Illi enim, teste TERENCE CLEMENTE (1), non cogebantur uxores ducere, utpote quod, iuxta essatum Imp. DIOCLETIANI & MAXIMIANI (2), legum disciplina neutiquam videbatur permittere, neque vero ducturi ad hanc vel illam personam matrimonio sibi iungendam adstringi poterant, siquidem, docente JULIANO (3), filiosfam. & nuptiis & sponsalibus consentire oportebat: iis vero dissentientibus, sponsalia nomine eorum fieri non poterant, praecipiente PAVLO. (4) Hinc recte apud QVINCTILIANVM (5) filius iudicat, dum ita rationes suas subducit, ut matrimonia liberorum ab arbitrio parentum nullatenus dependere existimet. Locum integrum supra



§. V. dedimus. Et PAMPHILVS apud TERENTIVM (6) non iniuria conqueritur: *Quid est, si non haec contumelia est, uxorem decrevat dare sese mihi hodie: nonne oportuit praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?* Sed filiarum sum. multo deterior erat conditio. Quemadmodum enim patri facultas competebar, eas fere pro lubitu despondendi, adeo, vt, finiente VLPIANO (7), tunc solum dissentendi à patre licentia filiae concederetur, si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater elegisset: ita in liquido patet, filiam, vbi iusta dissentendi causa forte defuit, ad matrimonium & quidem cum eo, quem pater eidem elegerat, ineundum cogi omnino potuisse, cuius rei rationes in eo quaerit ROMANVS TELLERVS (8), quod foeminae minori iudicio polleant, quam masculi, ac proin aequum videri debeat, filiae magis quam filii iudicium & voluntatem ex patris iudicio ac voluntate pendere, praesertim cum verendum esset, ne filia, diu innupta manens, per muliebrem impotentiam eo tandem dilaberetur, vt in corpus suum peccaret. Vnde facile est ad intelligendum, quamobrem filiae destinatos sibi à patre sponso, illo licet defuncto, retinere debuerint, teste PAVLO & PAPINIANO (10), imo ipsis Impp. HONORIO atque THEODOSIO. (11)

(1) in l. 21. π. de R. N.

(2) in l. 12. C. de Nupt.

(3) in l. 11. π. de sponsal.

(4) in l. 13. π. de sponsal.

(5) in Declamat. 376.



(6) in Andr. Alt. I. Scen. V.

(7) in l. 12. §. 1. π. de sponsal.

(8) Dissert. de deteriore foeminarum conditione in matrimonio contrahendo Thes. II. §. 3. i. Thes. VI. §. 10. sequ.

(9) in l. 36. §. 66. π. de R. N.

(10) in l. 101. π. de condit. & demonstr.

(11) in l. 4. C. de sponsal.

§. XVII.

Consequens est, ut dispiciamus, quatenam iura Patris, circa nuptias filiarum, in eius potestate non existentium, iuxta Romanorum leges tribuenda sint. Duplici autem ratione fieri potest, ut filia in manu patris non sit. Vel enim ea in potestate avi paterni est, vel per emancipationem in patris potestate esse desit. Priori casu patris consensus non requiritur, sed avi, cuius potestati subiecta est, sufficit. Ita enim diserte PAULVS (1): *Nepote uxorem ducente, & filius consentire debet. Neptis vero si nubat, voluntas & auctoritas avi sufficit.* Intuitu Nepotum scilicet prospiciendum erat, ne patri inuito suus heres agnasceretur: quae ratio quoad neptes absque dubio cessabat. Sed quid est, quod ipse PAULVS ratione nepotum a se dissentire videatur? dum alibi (2), *si nepotem, inquit, ex filio, & neptem ex altero filio in potestate habeam: nuptias inter eos, me solo auctore, contrahi posse, Pomponius scribit. & verum est.* Si GLOSSAM (3), eamque secutum HOTOMANNVM (4), & CIPHANIUM (5) audire volumus, simpliciter dicendum est, PAULVM in priori textu de nepote, extraneam personam ducente, loqui, in posteriori vero de tali specie agere, ubi nepos neptem ex alio filio, & sic cognatam suam

ac



ac patrualem, matrimonio sibi iungere cupit; cum enim haec iam ex familia sit, vix praesumi posse, filio inuiro heredem adgnasci, atque ideo aui voluntatem sufficere. Quae conciliatio displicet quidem THOMASIO (6), antinomiam potius heic subesse contendenti; sed cum vnus idemque auctor sibi met contradicere voluisse vix videatur: forte dici etiam potest PAVLVM in posteriore textu talem speciem praestruere, vbi filius erat emancipatus, nepote ex eo in potestate aui retento. Tunc enim eiusmodi nepotem, solius aui consensu interueniente, nuptias recte contrahere in aprico est. Posteriori casu, quando filia per emancipationem patriae potestatis nexibus liberata est, distingui debet, verum illa ad maiorem aetatem iam peruenerit, nec ne. Si maior sit filia emancipata, sine consensu patris nubere potest: secus si adhuc minor, tum enim in nuptiis contrahendis patris assensum expectare debet, prout expresse Impp. VALENTINIANVS, VALENS, & GRATIANVS (7), nec non Impp. HONORIUS & THEODOSIUS (8) disposuerunt, ac proinde nimium subtilis heic esse videtur ALBERICVS GENTILIS (9), constitutiones has ita explicans, vt filia ad sensum patris explorare quidem iubeatur, exploratum vero necessario sequi haud teneatur. Hoc enim & verbis & mentis earum repugnare recte censet TELLERSVS. (10)

(1) in l. 16. s. 1. π. de R. N.

(2) in l. 3. π. eod.

(3) in tit. l. 3. π. de R. N.

(4) Quaest. illustr. IX.

(5) Ab.



- (5) *Antinom. Iur. Ciuil. L. 1. Disp. III. n. 27. p. 62.*  
 (6) *in Diff. de Usu Pract. Tit. 7. de Nupt. c. 1. §. XII. p. 47.*  
 (7) *in l. 18. C. de Nupt.*  
 (8) *in l. 20. C. eod.*  
 (9) *de Nupt. L. IV. c. 2.*  
 (10) *c. Diff. Thef. III. §. 10.*

§. XVIII.

Quae de iure patris circa nuptias filiarum hucusque, secundum Leges Romanas, edisseruimus, cum iure Diuino positiuo in plerisque conuenire videntur. Neque enim solum ex debito obsequii & reuerentiae parentum consensus in nuptiis liberorum eo iure adhibendus est, prout omnes fatentur: sed &, quod eo neglecto contractum est, matrimonium nullitatis vitio laborat, optime aduertente HAVEMANNO (1), nec non CARPZOVIO. (2) Patet quippe illud dilucide ex EXOD. c. XXII. v. 16. 17. vbi agitur de eo, qui filiam alienam stuprauit, simulque disponitur, dotem dandam esse stupratae, si pater eius renuat illam in matrimonium collocare stupratori. Vnde apparet liquido, patri omnino ius fuisse, stupratae filiae matrimonium vel ratum habendi, vel etiam irritum faciendi. Idem colligitur ex NUMER. c. XXX. v. 4. 5. 6. vbi pater facultatem habet, votum filiae, quod Deo fecit, infringendi. Si hoc patri fas est, quanto magis promissionem matrimonialem, à filia se infcio tactam, eidem permittitur infringere? Nec abludere videtur PAVLVS Apostolus 1. Cor. VII. v. 36. patri relinquens arbitrium, vtrum filiam suam alteri velit matrimonio iungere, nec ne. Quid? quod

D

non



non improbabiler aſſeritur, plus poteſtatis patri circa filiarum, quam filiorum nuptias competiſſe. De his enim in ſacro Codice dicitur, quod vxores ſibi met ſumant, vel accipiant, v. GENES. c. XXVII. v. 46. & c. XXIX. v. 1. de illis autem, quod dentur, ſive tradantur à patre in matrimonium, v. DEUTER. c. VII. v. 3. & c. XXII. v. 16. id quod exemplo etiam BETHVELIS, filiam ſuam Rebeccam Iſaaco, & LABANIS, filias Rahelem & Leam Jacobo deſpondentis, non obſcure confirmatur. GENES. c. XXIV. v. 51. & c. XXIX. v. 19. 23. 26. - 28. Quam ſententiam quoque AMBROSIVS, à GRATIANO (3) relatus, quondam tuitus eſt.

(1) in Gamolog. ſynopt. L. I. t. 3. poſ. 2.

(2) Iuriſpr. Conſſ. L. II. deſ. 29. n. 11 - 20.

(3) Cauſ. XXXII. qu. 2. c. 13.

S. XIX.

Neque porro alia fuit Patrum & Eccleſiæ Doctorum de iure patris circa nuptias filiarum ſententia. AMBROSIVS (1), cuius mode mentionem inieci- mus, expreſſe ait: *mulier - - - ſi vult, nubat, tantum in Domino: vt electionem mariti parentibus deſerat.* Eadem pene fuit doctrina TERTULLIANI (2), ad leges ciuiles ſimul prouocantis. Sed & antiqui Canones eodem tendunt. EVARISTVS PAPA (3) rotunde pronunciat, *aliter legitimum non eſſe coniugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam foeminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquioribus ſponſetur.* Et paucis interiectis addit: *ita peracta legitima eſſe connubia: aliter vero praeſumta, non coniugia, ſed adul-*



adulteria, vel contubernia, vel supra, aut fornicationes potius, quam legitima esse coniugia. Quibus gemina fere tradit NICOLAUS PAPA (4), post sponsalia, inquit, foedera quoque nuptialia consensu eorum, qui haec contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur; nec non LEO PAPA (5), qui secundum legem habendam esse dicit uxorem, virginem castam, à parentibus traditam. Cum quibus plane consentit COELESTINUS PAPA (6), ingenuae fatens, si parentes, & ubi hi defuerint, proximiores, non interfuerint sponsalibus, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fieri matrimonium. Et in Concilio CARTHAGINENSIS IV. (7) cautum est, sponsum & sponsam, cum benedicendi sint à sacerdote, à parentibus suis offerendos esse. Quibus hucusque recensitis canonibus non contradicit NICOLAUS PAPA (8), secundum leges existimans sufficere SOLVM eorum consensum, de quorum coniunctionibus agitur. Quis enim non videt, particulam exclusivam ibi haudquaquam ad parentum consensum, sed ad copulam potius carnalem referri, ita, ut nihil aliud ibi innuatur, quam quod solus contrahentium consensus, citra concubitum, ad matrimonium verum constituendum sufficiat. Quamvis negare nequeamus, iuris Canonici recentioris (9) doctrinam à praxi Veteris ecclesiae hac in parte abesse, prout affabre BOEHMERVS (10), & ante eum CHEMNITIVS (11), demonstravit.

(1) relatus à GRATIANO *Caus. XXXII. qu. II. c. 13.*

(2) L. II. ad *Vxor. c. 61. p. 171. edit. Rigalt. Add. HIERONYM. relatus in c. 8. Caus. XXXVI. qu. II.*

(3) ap. GRATIAN, *Caus. XXX. qu. V. c. 1.*

D 2

(4) Ap.



- (4) ap. GRAT. c. l. c. 3.  
 (5) ap. GRAT. c. l. c. 4. *Add. Caus. XXXII. qu. II. c. 12.*  
 (6) ap. GRATIAN. *caus. XXXV. qu. VI. c. 2. iunil. c. 3. X. qui matrim. accus.*  
 (7) *relatio à GRATIANO Caus. XXX. qu. V. c. 5.*  
 (8) ap. GRAT. *Caus. XXVII. qu. II. c. 2.*  
 (9) *v. c. 6. X. de Raptor. c. 6. X. de Condit. appof.*  
 (10) *in Iur. Eccles. Prot. L. IV. tit. 2. §. 4. 5. 6. iunil. L. IV. Tit. I. §. 117.*  
 (11) *in Exam. Concil. Trident.*

§. XX.

Quod si porro ad Leges Veterum Germanorum respiciamus, nec secundum eas liberis, ac praesertim filiabus, connubia licuisse contrahere patebit, nisi ex arbitrio parentum. Ita enim in CAPITVLARIBVS (1) tantum fuisse legitur: *Decretum est, ut uxor legitime viro iungatur, aliter enim legitimum, ut à Patribus accepimus, & à S. Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus propinquieribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranympis, ut consuetudo docet, custodita detur & sollemniter accipiatur - - - Taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios, sed legitimos & hereditabiles generabunt.* In legibus WISIGOTHORVM (2) expressis verbis ita disponitur: *Hac in perpetuum valitura lege sancimus: ut tam Gothus Romanam, quam etiam Gotham Romanus, si sibi coniugem habere voluerit, praemissa petitione dignissima, facultas eis nubendi subiaceat, liberumque sit libero, liberam quam voluerit, honesta coniunctione consultata, perquirendo prosapia sollemniter consensu comite permit-*



mittente, percipere coniugem. Et clarius adhuc alibi: (3)  
 Si quis puellam cum voluntate patris, aut aliorum propinquorum  
 parentum, quibus ex lege eiusmodi potestas tribuitur,  
 sponsatam habuerit, & ipsa puella contempnens voluntatem  
 parentum, ad alium tendens, parentibus contradicat, ut illi non  
 detur, cui à parentibus fuerit pacta, hoc ita eam nullo modo  
 facere permittimus. Quod si ipsa puella contra voluntatem  
 parentum ad alium, quem ipsa cupierat, sorte peruenerit, &  
 ipse eam uxorem habere sorte praesumerit, ambo in potestate  
 eius tradantur, qui eam cum voluntate parentum sponsam ha-  
 buerit. Et si fratres vel mater eius, aut alii parentes malae  
 voluntati eius consenserint, ut eam illi traderent, quem ipsa  
 sibi contra paternam vel parentum voluntatem cupierat, &  
 hoc ad effectum perduxerint illi, qui hoc machinauerunt, li-  
 bram auri dent, cui Rex iusserit, sic tamen ut voluntas eorum  
 non habeat firmitatem, sed ipsi, sicut superius diximus, ambo  
 tradantur cum omni substantia sua illi, cui antea fuit sponsa-  
 ta. Eandem legem praecipimus custodiri, si pater de filiae  
 nuptiis definierit, & de pretio conuenerit: ac si ab hac vita  
 transferit, antequam eam pater nuptui tradat, ut illi puella  
 tradatur, cui à patre vel à matre pacta constiterit. Egre-  
 gie etiam huc facit **LEX-ALEMANNORVM** (4), sequen-  
 tem in modum disponens: Si quis filiam alienam non de-  
 sponsatam acceperit sibi uxorem, si pater eius eam requirit,  
 reddat eam, & cum XL. sol. eam componat. Nec non **Lex**  
**LONGOBARDORVM** (5), ita cauens: Si quando pater fi-  
 liam aut frater sororem suam alii ad uxorem tradiderit, &  
 aliquis ex amicis accepto exenio ipsi mulieri aliquid dederit,  
 in ipsius sit potestate, qui mundium de ea fecit &c. Et rur-



*fus alibi: (6) Si quis filiam suam aut sororem alii sponsare  
 voluerit, habeat potestatem dandi cui voluerit, libero tamen  
 homini, sicut in anteriori edicto continetur: nam postquam  
 eam sponsauerit, non habeat potestatem alteri homini eam ad  
 maritum dandi ante biennii tempus. Et si dare cuilibet  
 praesumserit, aut ipsa sponsalia irrumpere voluerit, componat  
 sponso ipsius, sicut inter se poenam firmauerint, qualiter in an-  
 terioris edicti continetur pagina, & insuper in palatio Widri-  
 gilt suum componat, & ille qui eam tollere praesumserit, com-  
 ponat similiter in palatio Regis Widrigilt suum. Si vero sine  
 voluntate patris & fratris eam tollere praesumserit, quae iam  
 alteri est desponsata, componat sponso eius duplam metam, si-  
 cut edictum anterieus continet, & in palatio Regis componat  
 Widrigilt suum. Pater vero & frater, qui in tali causa non  
 consenserint, sint absoluti, puella vero ipsa, quae hoc sua vo-  
 luntate facere praesumserit, si aliqua ei portio ex parentum  
 successione debetur, amittat ipsam portionem & nuda & vacua  
 de rebus parentum suorum vadat, & ipsi succedant, qui per  
 legem succedere possunt.*

(1) L. VII. c. 463.

(2) L. III. c. 1.

(3) L. III. c. 2.

(4) Cap. LIV.

(5) Lib. II. Tit. I. de Sponsal. c. 6.

(6) c. 1. c. II.

§. XXI.

*Veritas eorum, quae suo praec. asseruimus, ad-  
 huc magis elucet, si formulam libelli dotis, quondam  
 receptam, qualem inter alias LINDENBROGIVS apud  
 BALYZIVM(1) exhibet, intueamur. In ea enim haec  
 verba*



verba leguntur: Igitur dum taliter parentibus nostris utriusque partis complacuit atque conuenit, ut ego Te solido & denario secundum Legem Salicam sponsare deberem, quod ita & feci. Nec praetereundum est notabile admodum patriae potestatis, à Maioribus nostris circa liberorum matrimonia exercitae, exemplum, quod IACOBVS MALBRANCQ (2) sequentibus verbis commemorat: Rotbertus inter Morinos Comes atque Chlotario III. maxime charus: atque Siwinus ex Velocassino pago Vir nobilis, & qui sub Clodouaco & Chlotario & Theoderico meruerat. Hi ambo de ipsorum liberis inuicem coniungendis conueniunt. Erat priori filia, nomine Angadrifina, Siwino vero filius Ansbertus. Itaque Rotbertum inæter & Siwinum iam multo aule consortio conglutinator, pactae connubii leges. Ad ineunda sponsalia euocantur Ansbertus & Angadrifina, inuiti quamuis, qui concepto castimoniae seruandae consilio, parentum nihilominus implent vota. Nec minori consideratione dignum, quod GREGORIUS TVRONENSIS (3) de Episcopo Burdigalensi memoriae prodidit, eum scilicet coniugium, quod XXX. annos steterat, ob spreto parentum consensum rescidisse, cuius sententiae verba huc pertinentia ita se habent: *quia sine consilio parentum eam coniugio copulasti, non erit uxor tua.* Quo pertinet quoque memorabile exemplum apud REGINONEM (4), & HERTIVM (5), de Ludouico Balbo, cuius matrimonium cum Ansgarde, infcio patre, Carolo Caluo, contractum, ut ex eo duos filios haberet progenitos, auctoritate patris dissolutum fuit.

(1) in Capitul. T. I p. 532.

(2) de



(2) *de Morinis & Morinorum Reb.* T. I. L. III. c. 46. p. 418.

(3) *Histor. Francor.* L. IX. c. 33.

(4) *L. II. Chron. ad A. 888.*

(5) *de Matrimon. Putat.* §. XV.

§. XXII.

An autem & quatenus illa, quae hucusque, ex Legibus cumprimis Romanorum, Veterumque Germanorum, adduximus, hodiernum secundum iura Ecclesiastica Protestantium vsu feruentur? paucis nunc inquirendum est. Vbi quidem I. quod *sponsalia* liberorum, maxime vero filiarum, *patriae potestati subiectarum* attinet, dubio carere videtur, patris consensum omnino ad ea requiri, non ex honestate solum, sed & ex iuris necessitate, adeo, ut illo neglecto, sponsalia nulla prorsus atque irrita dicenda sint, prout ex ipsa *Ordinatione Ecclesiastica Saxon. Electorali* perspicue docet CARPZOVIVS (1), & ex aliis Protestantium Legibus Ecclesiasticis BOEHMERVS. (2) Neque vero magis valida illa censeri debent, si vel maxime iureiurando vallata fuerint, quippe quod in tertii praecudicium nihil operari, nec parentibus ius quaesitum auferre, multo minus vinculum iniquitatis esse potest, recte monentibus CARPZOVIO (3) & BOEHMERO. (4) Quibus merito iungendus STRYKIVS (5), memorabili admodum Responso hoc assertum illustrans. Quid? quod licet etiam concubitus accesserit, vitium tamen clandestinitatis, & inde dependentis nullitatis, haudquaquam per illum purgatur, nec pro-



proinde, patre dissentiente, regulariter fieri potest, ut liberi ad talia sponsalia, mediante benedictione sacerdotali, consummanda adigantur, optime iterum observante BOEHMERO (6).

(1) in *Iurispr. Confistor.* L. II. def. 38. 39. 40.

(2) in *Iur. Eccles. Prot.* L. IV. Tit. 2. §. 11.

(3) *cit. lib.* II. def. 58.

(4) *cit. Tract.* L. II. Tit. 24. §. 32.

(5) in *Vsu Moderno.* τ. Tit. de Sponsal. §. 16.

(6) *alleg. Tr.* L. IV. Tit. 2. §. 20. 21.

§. XXIII.

Difficilior, magisque impedita quaestio est, quid II. de ipso matrimonio, per benedictionem sacerdotalem, invito parente, consummato dicendum sit? Enimvero si quaestio haec ex genuinis Protestantium principiis decidi deberet, pronuntiandum foret, nec matrimonium tale consistere posse, siquidem non apparet, qua ratione benedictio sacerdotalis rem in se illicitam licitam reddere queat, utpote quae, ubi negotio inualido ac Legibus prohibito adhibetur, pro detestando potius Nominis Divini abusu iure meritoque haberetur. Et quoniam illa, parentibus consensum in nuptias liberorum denegantibus, ab his plerumque dolo impetratur: ecclesiae auctoritas non modo non immittitur, sed potius asseritur & vindicatur, si, quod fraudibus obtentum, vel cum ipsius detrimento à corruptis eiusdem ministris concessum est, irritum declaretur, recte iudicante BRVCKNERO (1). His tamen non obstantibus praevaluisse communiter videtur sen-

E

ten-



rentia eorum, qui matrimonium, postquam semel interueniente benedictione consummatum est, ratum, validumque, ac ideo indissolubile esse contendunt. Cum enim isthoc iuxta §. XIX. in f. iuri Canonico recentiori, vtut à vetere ecclesiae disciplina hactenus recedenti, apprime conueniat; ius Canonicum vero apud Protestantes quoque in matrimonialibus maximam partem retentum sit, ita vt in eiusmodi causis illud maiorem, quam ius Romanum, auctoritatem habeat: mirum non est, quod & hac in parte eius placitis Protestantes plerumque steterint, prout egregie ostendit BOEHMERVS (2). Vnde parentibus facultatem non competere, matrimonium per benedictionem sacerdotalem perfectum iterum rescindendi, expeditum esse ait CARPZOVIUS (3), multaue eam in rem praecudicia congescit DEDEKENNVS (4), imo & ad connubium, per benedictionem sacerdotis depositi consummatum, idem extendit THOMASIVS (5), Potuisse autem iure suo Principes Protestantes ita disponere, vel ius Canonicum antea receptum hactenus tolerare, euicit GRIBNERVS (6). Quamuis negari nequeat, nonnullibi etiam priorem sententiam Legibus Protestantium matrimonialibus publice receptam, roboratamque esse, prout ex Edicto, quod in Terris Brandenburgicis Electoralibus ao. M DC XCIV. von Verloebnüss und Ehe-Sachen, publicatum fuit, eiusque §. XV. nec non ex Edicto Hamburgensi gegen die Verkuppelung und Entführung der Weiber, Jungfrauen und Vn-  
mün.



mündige, de anno MDC LXXVI. apud STRYKIVM (7)  
liquido patet.

(1) in Decis. Iur. Matrim. c. II. n. 101.

(2) in Iur. Eccles. Protess. L. IV. tit. 2. §. 22. 25.

(3) in Iurispr. Consist. L. II. def. 60. n. 2.

(4) Vol. III. Consil. l. 2. sect. 4. n. 41. Et l. 4. sect. 1. n. 11. sqq.

(5) de Validitate Coniugii, iniuriis parentibus contracti, Et per benedicti sacerdotis depos. consummati §. 21.

(6) in Dissert. de His, quae ex Iure Protessant. matrim. ad reliqu. Sacram. perperam referuntur §. 29.

(7) de Dissens. Sponsalit. in Append. p. 306. Et 314.

§. XXIV.

De caetero quae supra de cohibendis patriae potestatis abusibus, circa sponsalia filiarum nonnunquam obuenientibus, ex Iure Romano exposuimus, hodiecum sine dubio obtinent. Quod si enim pater citra iustam causam, ex fastu forte, vel proteruia, vel etiam auaritia, quo bonis liberorum aduentitiis eo diutius fruatur, eorum, & inprimis quoque filiarum, nuptias fastidiosè respuat, Consistorium eius consentum, causa prius cognita, supplet, qua de re testantur CARPZOVIVS (1), BOEHMERVS (2), STRYKIVS (3), SCHILTERVS (4), alii. Sed nec fas est patri, liberos ad sponsalia vel nuptias, quas illi deprecantur, vi cogere, recte docente CARPZOVIO (5), adeo, vt nec intuitu filiarum. hoc liceat amplius, sed discrimen, quod hac in parte filios inter & filias quondam intercessit, nunc quidem penitus, optime tradente STRYKIO (6), & BOEHMERO (7), euauerit.

(1) in Iurispr. Consist. L. II. def. 52-57.

(2) in Iur. Eccles. Prot., L. IV. Tit. 2. §. 18.





(3) in *Vsu Mod.* π. *Tit. de Sponsal.* §. 17.

(4) in *Instit. Iur. Canon.* L. II. *Tit. 10.* §. 6, 7.

(5) in *Iurispr. Confess.* L. II. *def. 30.*

(6) in *Vsu Mod.* π. c. l. §. 18.

(7) in *Iur. Eccles. Protest.* L. IV. *Tit. I.* §. 118, 119, 120.

§. XXV.

Quod si denique filia *sui iuris* facta, & à patria potestate liberata sit, quod per nuptias hodie fieri inter omnes constat; his per mortem forte mariti dissolutis, si filia vidua facta ad secunda vota transire intendat, patris consensum in noua sponsalia ex absoluta *iuris necessitate* requirere non tenetur, nisi minorennis, aut defuncto marito ad domum patris sui, inque eius potestatem quodammodo reuersa sit. Quamuis enim secus videatur CARPZOVIO (1); eidem tamen non sine ratione contradicit BOEHMERVS (2), cui proinde subscribere nulli dubitamus.

(1) in *Iurispr. Confess.* L. II. *def. 49.*

(2) in *Iur. Eccles. Prot.* L. IV. *Tit. II.* §. 13-16.

§. XXVI.

Restat, vt de iure *Matris* circa nuptias filiarum paucis adhuc dispiciamus. Vbi quidem, quod ad *Leges Romanorum* attinet, expeditum esse videtur, *regulariter* matris consensu in filiarum nuptiis haudquam opus fuisse, siquidem illa liberos in sua potestate, à qua tamen ius consentiendi in matrimonia eorum vnice dependebat, teste ipsomet Imper. IVS TINIANO (1), non habuit. Hinc, patre superstite, huius tantummodo consensus desiderabatur, non matris:

eo



eo vero demortuo, filia *maiorennis* suo sine dubio nubebat arbitrio; *minor* autem à curatore regebatur quidem, at eius officium ad nuptias non pertinebat, sed in administratione negotiorum constabat, & inde pupilla suo quoque arbitrio nubebat, diserte praecipiente PAVLO (2), nec non Imper. GORDIANO (3), utpote qui *in copulandis nuptiis, nec curatoris, qui solam rei familiaris sustinet administrationem, nec cognatorum vel ad finium ullam auctoritatem posse interuenire censet, sed spectandam esse eius voluntatem statuit, de cuius coniunctione tractatur.* Nec hucusque dictis refragatur famosus ille locus apud CATVLLVM (4), ubi iuuenes ita ad puellam:

*At tu ne pugna cum tali coniuge viro:*

*Non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse,  
Ipse pater cum MATRE, quibus parere necesse est;  
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est;  
Tertia pars MATRI data, pars data tertia patri,  
Tertia sola tua est.*

Testimonia enim Poëtarum, consilii & virtutis rationes potius, quam iuris dispositionem plerumque proponentium, contra clara Legum verba allegari haud posse, nemo non intelligit.

(1) in §. 10. I. de Adopt. iunç. pr. I. de Nupt.

(2) in l. 20. π. de Rit. nupt.

(3) in l. 8. C. de Nupt.

(4) in Caron. Nupt. §. 11.



## §. XXVII.

Quemadmodum vero naturae admodum conueniens est, saltem mortuo patre, potestatem in liberos, qui per lubricum aetatis regere semet nequeunt, matri tribui: ita Romani quoque hanc aequitatem quoad tenus secuti esse videntur. Neque enim patri solum permittebant, ut in arbitrium matris conferre posset, cui nuptum filia communis collocanda esset, qualem speciem proponit PAPINIANVS (1), eoque in casu ambigendum non est, quin filia, nuptias contractura, matris consensum adhibere debuerit; Sed & si pater filiae nuptias matri expresse non commississet, illa tamen, *patre defuncto*, si adhuc in *minori* aetate esset constituta, matris & propinquorum, nec non tutorum consilium sequi tenebatur. Quo pertinet imprimis Imp. HONORII & THEodosii constitutio (2), diserte & hoc in se continens: *Si puella intra quintum & viceesimum annum constituta, patris vero auxilio destituta sit, matris & propinquorum & ipsius quoque adultae requirendum esse iudicium. nec non alia Imp. VALENTINIANI, VALENTIS & GRATIANI sanctio (3), si modo sententiam CVIACII (4), qui in ea loco patris legendum esse existimat matris, probare, atque istam emendationem, in se non improbabilem, recipere volumus. Atque ad has constitutiones respexisse videtur AVGVSTINVS (5), dum ait: Rogatus sum, ut confirmarem nuptias puellae: facerem, inquam, sed mater puellae non adest: & tu scis, ad nuptias contrahendas voluntatem eius necessariam.*

&amp;



& alibi (6): *matris, inquit, voluntatem in tradenda filia omnibus, ut arbitror, natura praeposit, nisi puella in ea iam actate fuerit, ut iure licentiore sibi eligat ipsa quod velit.*

- (1) in l. 62. pr. π. de Rit. nupt.
- (2) in l. 20. C. de Nupt.
- (3) in l. 18. C. eod.
- (4) L. III. Observat. 5.
- (5) Epist. CXXXIII.
- (6) Epist. CCLIV.

§. XXVIII.

Cumque porro saepe eveniret, ut mater, in eligendis filiae nuptiis à tutoribus eius ac propinquis diffideret: inde ulterius Legibus Romanis cautum est, rem tunc ad arbitrium Magistratus deferri debere. Ita enim Impp. SEVERVS & ANTONINVS iam rescriferunt (1): *Cum de nuptiis puellae quaeritur, nec inter tutorem, & matrem & propinquos de eligendo futuro marito convenit: arbitrium Praesidis provinciae necessarium est. Eodem modo Impp. VALENTINIANO, VALENTI & GRATIANO (2) placuit, ut illo casu habendo examini auctoritas quoque iudiciariae cognitionis adiungatur: ut si pares sint genere ac moribus competitores, is potior existimetur, quem sibi consulens mulier approbaverit. Quod ius tamen non demum ab Imperatoribus Romanis inuectum fuit, sed pridem, stante adhuc libera Republ. inualuit, prout notatu dignissimo exemplo hoc confirmat LIVIVS (3): *Virginem, inquiens, plebei generis maxime forma non iam petiere iuvenes: alter virgini genere par, tutoribus fretus; qui & ipsi eiusdem corporis erant; nobilis alter, nulla**



re, praeterquam forma captus. Adiuuabant eum Optimatum studia, per quae in domum quoque puellae certamen partium penetravit. Nobilis superior iudicio matris esse, quae quam splendidissimis nuptiis iungi puellam volebat. Tutores, in ea quoque re partium memores, ad suum tendere. Quum res peragi intra parietes nequisset, ventum in ius est. Postulatu audito matris, tutorumque, magistratus secundum parentis arbitrium dant ius nuptiarum.

(1) in l. 1. C. de Nupt.

(2) in l. 18. C. Eod.

(3) Histor. L. IV. c. 9.

§. XXIX.

Sed & nonnunquam forte in dirimendis eiusmodi controuersis, matrem inter & propinquos ortis, Romani vsi sunt. Exemplam adfert SVETONIUS (1) de Quaestore, quaestura remotò, quod eam, quam pridie SORTITIONE duxerat vxorem, postridie repudiasset. Equidem non ignoro, TVRNEBVM (2) haecce verba de sortitione prouinciae intelligere, ex qua Quaestor ingens lucrum sperans, vxorem, quam forte minus diuitem duxerat, postridie repudiauierit. Sed cum plurimi Interpp. locum allegatum de vxore forte ducta cum BEROALDO rectius explicant, eosdem, quam TVRNEBVM sequi maluimus. Referri etiam huc potest locus non incelebris apud PLAVTVM (3), vbi Chalinus & Olympio, coniectis in sitellam fortibus, pro Casina fortiti sunt. Atque is modus forte ducendi vxores aliis quoque gentibus nonnunquam



quam placuit, prout exemplo memorabili hoc confirmat VENANT FORTVNATVS (4), qui de Rade-  
gunde sequentia scriptis consignata reliquit: *Beatissima igitur Radegundis, natione barbara, auro Rege Basino, patruo Herminefrido, patre Rege Berchario - - - - quae cum suis parentibus breui commanens tempore, tempestate barbarica Francorum victoria regione vastata, vice Israëlitica exit & migrat de patria. Tunc inter victores, cuius esset praeda regalis puella, fit contentio de captiua, & nisi reddita fuisset transacto certamine in se Reges arma mouissent: quae veniens in sortem praecelsi Regis Clotarii, in Viromandensem ducta Athetias in villa regia nutriendi causa custodibus est deputata. Sed haec obiter.*

(1) in Tiber. c. XXXV.

(2) Aduersar. XIV. c. 22.

(3) in Casin. Aët. II. Sc. IV.

(4) in Vita S. Radegundis apud SVRIVM in Vitis SS. 2. 13. Aug. p. 116.

§. XXX.

Sicut autem ex dictis elucet, Leges Romanas & patri aliquod ius circa nuptias filiarum, vtut, si cum iure patris conferatur, exiguum admodum, reliquisse: ita amplior ei potestas sine dubio iure diuino competit, vt pote quod non solum in praecepto de honorandis parentibus patrem ac matrem coniungit, (1) sed & exemplo HAGARIS, filio suo Ismaëli vxorem ducentis, (2) itemque REBECCAE, cum Isaac de nuptiis filii communis Jacobi consultantis, (3) docet, matris

F

arbi-



arbitrium in nuptiis filiorum, & multo magis filiarum, haudquaquam spernendum esse. Vnde etiam de SIM-  
SONE traditur, (4) quod patri aequae ac matri propo-  
situm de vxore ex Philistaeis ducenda aperuerit. Ne-  
gari tamen de caetero non potest, hoc iure consen-  
sum patris, vbi hic forte à matre circa liberorum nu-  
ptias dissentit, praeualere, cum ille diuina ordinatio-  
ne dominus vxoris suae constitutus sit; (5) id quod  
latius commonstrauit CARPZOVIUS. (6)

(1) Exod. XX. §. 12. Deuter. V. §. 16. Math. XV. §. 4. Ephes. VI.  
§. 2.

(2) Genes. XXI. §. 21.

(3) Genes. XXVII. §. 46.

(4) Judic. XIV. §. 2.

(5) Genes. III. §. 16. 1 Cor. XIV. 34. Ephes. V. 22.

(6) in Jurispr. Consist. L. II. def. 44. n. 6 - 17.

§. XXXI.

Neque aliud dicendum, si ex Legibus Veterum  
Germanorum matris circa nuptias filiarum potesta-  
tem metiri vouerimus. Plane in legibus WISIGO-  
THORVM (1) expresse dispositum, vt patre mortuo,  
vtriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consi-  
stat: matre vero mortua, aut si ad alias nuptias forte transfe-  
rit, fratres eligant, cui dignus puer vel puella iungatur. Et  
in CAPITVLARIBVS (2) inter alia ita cautum legi-  
tur: *Qui viduam in coniugium accipere vult, indicauerunt  
omnes, vt non ita, sicut in L. Salica scriptum est, eam acci-  
piat, sed cum parentorum consensu & voluntate.* Vbi quid-  
dem



dem ex ST. BALVZIO (3) recte obseruat Dn. à LVDEWIG, (4) barbaro aeuo scriptores etiam loco *parentum* scripserunt *parentorum*, sub appellatione *parentum* vero, in argumento connubiali, non patres solum aut auos paternos, prout Romanis hoc solenne fuit, sed etiam matrem, auumque maternum complexos esse.

(1) *Lib. III. leg. 7.*

(2) *§. Capitul. III. Ann. §19. §. 8.*

(3) *in not. ad Capitul. p. 1014.*

(4) *in Diss. de Consensu Connubial. extra Patrem diss. I. c. II.*

*§. 3.*

§. XXXII.

Atque eodem iure uti hodiernum Protestantes in confesso est. Matris enim consensus ubi ad nuptias filiarum requiritur, siue pater sit superstes adhuc, siue factus functus. Et priori quidem casu, pater in uinis existens cum matre aut consentit, aut ab ea dissentit. Si consentit, nuptiae filiae ex utriusque parentis voluntate consistunt, matris tamen consensus specialiter quoque à filia expetendus est, cum, optime iudicante Dn. à LVDEWIG (1), patris voluntas matris auctoritatem non expungat, aut supprimat. Si à patre dissentit, praevalet quidem per dicta §. XXX. *in f.* voluntas patris, ita, ut sponsalia, & multo magis nuptiae, patre consentiente contractae, ob matris dissentium pro nullis aut inualidis reputari non possint; matri tamen iste honos habendus, ut eius quo-



quoque voluntas exquiratur. Posteriori casu, si pater filiae satis iam concessit, matris, vel, hac quoque defuncta, auiæ consensu in nuptiis filiarum & neptum, in tantum opus est, ut illo non interueniente sponsalia earum irrita sint, & inualida, omniaque ea locum inueniant, quae de iure patris circa sponsalia aequè ac matrimonia filiarum in antecedentibus in medium prolata sunt: quemadmodum pluribus testantur CARPZOVIUS, (2) MEVIUS, (3) BRVNNE-MANNVS, (4) BOEHMERVS (5) alii; ut adeo plura dictis addere superuacaneum videatur.

(1) in *Diff. de Consens. Connub. extra patr. diff. 1. p. 20.*

(2) in *Jurispr. Consist. L. II. def. 44.*

(3) in *Comment. ad J. Lub. L. I. Tit. IV. s. 2. n. 22.*

(4) in *Jur. Eccles. L. II. c. 16. §. 5.*

(5) in *Jur. Eccles. Protest. L. IV. Tit. II. §. 9. 10. 12.*

T A N T V M.













ULB Halle  
005 355 680


3











1737

1732, 12

12  
11

SVB PRAESIDIO  
VNIVERSITATIS ERFFORDIENSIS  
RECTORIS MAGNIFICI  
DN. TOBIAE IACOBI  
REINHARTHI,

ICTI, SACRI PALAT. CAESAR. COMITIS, IVRID. FACVLTAT.  
ASSESSORIS, ET PROF. COD. PVBL. ORD. NEC NON  
CIVITAT. STNDICI ET CONSVLIS,

ANNVENTE INCLVTO ICTORVM  
ORDINE  
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE  
ARBITRIO PATRIS  
ET IVRE MATRIS  
IN  
NVPTIAS FILIARVM,

PRO  
GRADV DOCTORALI  
LEGITIME CONSEQVENDO  
EXHIBEBIT  
ADOLPHVS GOTTLOB O FERAL,  
*Dresdensis.*

DIE III. NOVEMBRIS M DCC XXXII.  
IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI.

ERFORDIAE,  
LITERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

